NOBILISSIMO ATQVE INTEGERRIMO VIRO DOMINO DIONYSIO DV MESNIL, IN SVPREMA SENATVS PARISIENSIS CVRIA CONSILIARIO, ET INQVISITIONVM PRÆSIDI ÆQVISSIMO, ὦ προστάτα,

Nicolaus Roland.

LOnge fœlicius quam sperabam hodie mecum agitur, Præses illustrissime, *hactenus iniquioris fortunæ telo ictus parentis optimi crudeli fato extincti, ea esse videbatur rerum mearum conditio vt præreptam mihi ad honorum gradus viam queri possem. Tu Deus tutelaris è machina (qui sæpe laborantibus in articulo ipso subuenire gaudet, & res nostras præter opinionem moderatur, & supra spem) mihi affulsisti. Subijt animum honorifica nominis tui recordatio, quę me iacentem erigeret, nutantem ac diffidentem de rebus meis firmaret ac recrearet: cuius quæso meminisse, aut magis propitium numen implorare potuissem, quam illius, cuius in superstitem filium non minor est quam in parentem animi propensio? cuinam melius meæ literę placere gestient, quam ei in cuius tabulis iam pridē nomē meū extabat? Munus itaq; hoc Iatricum à me cape* (Præses æquissime) *tenue quidē, sed in quo spero te facturū, quod benigni creditores solent, vt hac quasi particula soluti debiti tantisper sustenteris, dum meliore ingenij mei prouentu sortem ipsam cum vsuris rependā: id quod breui, si Musæ annuant, futurum confido.* Vale.

AD QVODLIBETARIAM

QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXXI. Decembris M. Valentino Hyeraulme Doctore Medico moderatore.

605

An indefinitum pariendi tempus?

ANIMAM omnibus parem hominibus naturæ opifex frustrà dedisset, frustrà corpus tàm mirabili artificio constructum, vt illius temperiem & dispositionem variam varij animi mores sequātur: ni simul & medium illis calorem natiuum planè cœlestē, naturæ nomine meritò dignandum, largitus fuisset. Is enim cum sit ἀρχὴ ζωτικὴ, omniúmque naturalium operum causa fœtum fingit, alit, auget, & ad extremū vsq; tuetur ac gubernat: hyeme, vere, pueris, iuuenibus, & athletis vberior, vires robustiores reddit, validiores in corpore functiones exercet. æstate, autumno, postremísq; ætatibus sensim deficiens, fatiscit, remissè operatur: sic conformationē fœtus, & motum in vtero potens accelerat; sic retardat imbecillus: ac prout tàm in fœta quàm fœtu plus minúsq; viget, maturior aut serior sequitur prolis eductio.

SEMEN humanum sola vi testium non elaboratum sed perfectum, ab vtroque parente etiam morboso sanum sæpè ac fœcundum, continuò tamen ἄψυχον, emittitur, cuius sopita vis si ab vtero exsuscitetur, & in actum prorumpat, conceptionem vere, quàm anni quouis alio tempore faciliorem efficit. Hinc constructis, prioribus septem diebus ex ignobiliori sui parte, membranis, calor natiuus partium τύπωσιν simul inchoat, & in maribus celerius, in fœminis tardius, non tamen simul perficit: nunquam in his aut illis determinato dierum spatio: quandoq; trigesimo quinto quandoque quadragesimo, quadragesimo quinto, quinquagesimo & vltrà: vberior in illis calor natiuus, paucior in his: quo tempore accedit anima, non vegetans aut sentiens vlla, sed sola rationalis, eóque geminato dierum spatio mouetur fœtus, vt triplicato promouetur.

IAM vero quis eodem modo temperatas mulieres? quis parem in pluribus fœtibus qualitatum mistionem? quis hominem per totum vitæ suæ tempus similiter affectum dicat? quis per annum? quis per diem vnum? animo mutationes eiusmodi persentiente: sic variant ἰδιοσυγκρασίαι: sic mores & functiones, vt ex vnguibus & pilis de pueruli ætate quicquam certi pronunciare non audeam. Mulieres porrò paruæ ad conceptionem maioribus sunt præstantiores, vt macilentæ obæsis, floridæ pallidis, quæ venas habent ampliores, quàm quæ angustiores, quibus item menstruæ purgationes statis temporibus contingunt, steriles verò quibus humidior, durior aut siccior vterus, menses nec intra nec extra profluunt.

EST in conceptu, est in conformatione varietas, quam præter diuersum cuiúsque mulieris temperamentum, promouet ipsa seminum temperies, & eorumdem in mistione victoria, similitudinis causa: fœminea genitura frigidior & humidior, hinc tardiùs conformari & moueri fœmellas contingit (licet increscant celeriùs, viuant breuiùs) citiùs masculos, fœmellis calidiores, fortiori crassioriue producendos genitura, quam parentes profundunt robusti, hirsuti, subnigri formosi. Vterus an concurrit? si morbo lædatur similari, intemperie calida sicca viraginibus plerumque sterilibus familiari, frigida humida, delicatulis mulieribus propria: vel organico tentetur, procidat, læuitas adsit vel angustia, mulier non concipit: non conformatur fœtus, si vis exsuscitandi seminis vtero ingenita torpida sit, vel imbecilla: vndè mola non concrescens sine virili semine, κύημα μὴ ἰθαγενές, monstrum.

COMMISSVS error in conformatione non emendatur in partu, quem natura licet ἀπαίδευτος καὶ οὐ μαθοῦσα non molitur antè legitimam fœtus in vtero conformationem, non ex sola partium delineatione, sed corpulentia & robore iudicandā, quæ cum in diuersis diuerso tempore appareant, fit vt multæ septimo mense, qui primus breuissimæ gestationis limes est, fœtum producens ζώσιμον modo masculum (fœmina enim si tunc prodeat ἔστι καὶ οὐκ ἔστι) octauo quædam lethali: nono plures: decimo item, & vndecimo (ὁ μακρόταται) mulieres pariant: at difficilius primiparæ, virgines adultiores, morbosæ mulieres, iuniores, non secus ac seniores, quæ tardius, quam quæ sæpius: facilius vero, quibus adest sufficiens gestationis tempus. Quid ita? concurrant oportet fœtus vires cum fœtæ viribus, in illis validiores, in his imbecilliores: illìc valente natiuo calore, quo celeres; hìc remisso, quo tardæ functiones, vndè nihil certi definiri potest.

Ergo est indefinitum pariendi tempus. 52

Proponebat NICOLAVS ROLAND Parisinus Schol. Archidiaconus. Anno R. S. M. DC. XX.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI,

M. Petrus Robinet
M. Joannes Berault.
M. Franciscus Mandat.
M. Franciscus Quicquebeuf.
M. Claudius Lienard.
M. Joannes Dossier.
M. Simo le Tellier M. Regius.
M. Richardus Marces.
M. Simo Bazin M. Regius.